



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

**Segneri, Paolo**

**Dilingæ, 1699**

XXI. In fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.  
Gal. 20. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

ut libet. Inviolabilis lex est, non utrobique, hic simul & ibi gaudendum. Idcirco istud *Væ* non solum hoc loco designat malum quoddam horrendum, non solum id deplorat, non solum minatur, sed & prædicat, hoc est, omnem hunc & quadruplicem sensum continet, quem vox ista formidabilis *Væ* habere potest in scripturis sacris.

3. Considera, quemadmodum Christus, cum beatos diceret pauperes, noluit de omnibus loqui pauperibus, sed de voluntariis tantum: *Pauperibus*

*Spiritu*, ita facere hoc loco, cum infelices vocat divites. Nam si quis multas possideat divitias, sed illis cor non apponat, & ideo non impendat nisi in eos usus, quos DEUS permittit, aut præcipit; non est tanta ratio formidandi, quia in his non habet propriam consolationem. Sed *Quis est hic, & laudabimus eum?* Tu, quantum in te est, opta potius non habere divitias, quam eas habere, nec adherere. Primum facile est, alterum prodigio simile.

## XXI.

*In fide viro Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Gal 20. 21.

1. Considera, quid sibi velint hæc verba: *Vivere in fide*. Volunt, ut JESU Christo fidas, securus omnia rite processura, si ipsius gubernationi te penitus permittas. Inmittat desolationes, infirmitates, ignominias, mendicitatem. An non potes totum te conijcere in brachia Domini, qui tantopere te dilexit? certissimum tibi sit, omnia denique ad emolumentum tuum cessura. *In fide viro filij DEI.*

2. Considera, quousque processerit amor, quo te dilexit: dum ille *tradidit semet ipsum pro te*: non alium sed *semet ipsum*: non Angelum, non Archangelum, non alium altioris ordinis Spiritum, sed suammet personam. Ipse voluit esse magna Victimam pro salute tuâ immolata. Atque ita eatenus fuit traditus à Judâ, quatenus ipse *tradidit semetipsum* ultro illi occurrens.

3. Considera illum hæc omnia pe-

tissimum egisse pro te, quâ tali. Unde non est, quod dicas. *Dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis*, sed: *Dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me*. Mortuus est Dominus ita pro te solo, uti pro omnibus. Imprimis in ipso mortis articulo cogitabat de te, rogabat pro te, & in Cruce sacrificium illud offerebat pro te, imò sicut pro omnibus de cælo moriturus descendit, ita, si necesse fuisset, pro te solo descendisset. Vide igitur, an non amet.

4. Considera, quantam injuriam facias, cum illi, qui se totum pro te dedit, te totum dare recusas. Hoc est autem se totum dare, *Tradere semetipsum*, omnino ejus voluntati se permittere quasi obedientiæ victimam, ut ipse de te in omnibus pro libito disponat, quin rerum tuarum eventum nôsse velis, sed solum cupias. *In fide vivere filij DEI*: eo ferè modo, quo vivit infans in sinu Matris.